



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

Paragraphus II. De exspiratione Vicariatûs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quæstio 286. An Vicario generali debeatur quoque salarium, dum is est Canonicus, & de sua præbenda commodè vivere potest?

REsp. Debet ei nihilominus salarium, non se-
cūs ac externo assumpto in Vicarium. Sbroz.
l. 1. qu. 55. nu. 7. ubi etiam, quod possit deducere
expensas, quas alia domi facturus esset tanquam
reputatus præsens & residens propter ecclesia ser-
vitium. &c. l. 2. qu. 60. nu. 4. ex Pavin. de potest. Capit.
sede vac. p. 2. q. 10. n. 4. qui et si loquatur de Vicario
Capituli sede vacante, idem tamen est de Vicario
Episcopi ob eandem rationem; cum neque is gra-
tis teneatur locare operas suas Episcopo.

*Quæstio 287. An Vicarius mortuo Episcopo
consequi debeat salarium pro tempore, quo
vixit Episcopus?*

REsp. Debere illum id consequi à Capitulo.
Sbroz. lib. 2. qu. 55. nu. 3. cum Imol. in c. statu-
tum, de elect. nu. 27. non tamen tenetur Episcopus
succesor Vicario prædecessoris sui solvere sala-
rium, Sbroz. loc. cit. nu. 7.

*Quæstio 288. An Vicario ignorantis revoca-
tionem seu exspirationem sui Vicariatū de-
beatur salarium pro rata temporis post di-
ctam exspirationem?*

REsp. Affirmativè. Sbroz. lib. 3. qu. 35. ubi : Vi-
carius Episcop, quamdiu revocationem sui Vicaria-
tū, & successoris creationem ignorat, consequi debet
salarium. Citat pro hoc Reb. off. in pr. de nominat.
qu. 14. nu. 71. Roman. in L. diem functio. ff. de offic.
Assess.

*Quæstio 289. Unde solvendum Vicario sala-
rium?*

REsp. Teneri Episcopum ex Camera sua con-
stituere Vicario suo salarium. Fagn. in c. quo-
nam. ne prælati vices suas. nu. 8. juxta i. charitatem.
& c. quicunque. l. 2. qu. 2. & gl. 24. Innoc. Card. Bu-
trio. Host. in c. præterea. ne Prælati vices suas. Mor-
tuò vero Episcopo, salarium pro tempore, quo
vivente Episcopo deservivit Vicarius eidem, sol-
vendum à Capitulo de bonis ecclesia vacantis.
Sbroz. l. 1. qu. 55. nu. 3. ex Imol. in Clem. statutum.
de elect. num. 7. Ex pœnas tamen & multis nulla
portio assignari potest Vicario pro ejus mercede.
Fagn. in c. presbyteri. de penit. nu. 36. sic responsum
testans à S. Congregatione Concil. Sed ne-
que in reparationem domus Vicarii quicquam
infumi posse ex hujusmodi pœnas pecuniariis,
centuisse eandem S. Congregationem, ait Fag-
nan. loc. cit. num. 38. ubietiam, quod licet Papa
quandoque ex gratia concederit Episcopis pau-
peribus facultatem, eas pœnas in certa summa in
reparationem Episcopalis palatii erogandi, ple-
rumque tamen eam denegarit. Proceduntque
hæc omnia multò magis in illis pœnis pecuniariis,
qua à SS. Canonibus, vel Synodalibus statutis
pro delictis ad certam quantitatem non sunt pra-
mitæ, sed ab Episcopi arbitrio dependent, vel

per sententiam, nullâ precedente Canonum vel
statutorum Synodali determinacione im-
ponuntur, ait Fagn. loc. cit. nu. 39. eo quod has pœnas
pecuniarias omnes S. Congregatio, etiam in sta-
tu egestatis Episcopi, censuerit indistinctè nequa-
quam aliis, quam piis locis & usibus esse appli-
candas, non obstante contraria consuetudine.

PARAGRAPHUS II.

De Expiratione Vicariatū.

*Quæstio 290. Quot modis expiret Vi-
ciatus?*

1. R Esp. Exspirare officium & jurisdictionem
Vicarii generalis Episcopi variis modis.
Ac primò quidem per mortem Vicarii naturalem;
mors enim omnia solvit. Pirh. ad tit. de offic. Vicar.
nu. 68. Non tamen per mortem illius, aut Episco-
pi, aut quamcumque allam amotionem propriè
vacat Vicarius; cum, ut dictum alia, non sit be-
neficium. Laym. in c. statutum, de rescript. nu. 5. A-
zor. loc. cit.

2. Secundò per renuntiationem expressam vel
tacitam factam ab ipso Vicario. v. g. dum è dia-
cesi discedit, in qua constitutus erat Vicarius,
animo non redeundi. Fagn. in c. presentata, de respi-
bus. nu. 10. & ex eo Pirh. loc. cit. eo ferè modo,
quo legati Pontifici munus legationis expirat, si
provinciam sibi commissam egressus fit animo
non redeundi. argumento l. 3. ff. de off. Praesidis. Fa-
guan. loc. cit. citatis gl. in c. præsentata, de off. Legat.
in 6. v. finit. Villadiego tract. de legat. qu. 16. n. 7. &
Gambar. cod. tract. l. 9. n. 5. Idque abique eo, quod
Vicarius revocatus exiliter è diacesi. Nam eti de-
tur (quod tamen negat Fagn. loc. cit.) ut volunt Ho-
stieni. in c. novit. de off. Legat. & qui cum sequitur,
Archidia. Jo. And. in c. præsente. tit. eod. in 6. finit
officium legationis legato non solum egresso è
provincia, sed etiam revocato: adhuc tamen aliud
est in Vicario Episcopi, differentiè consistente in
hoc, quod ut citari Authores velint, ideo per so-
lum receluum à provincia animo non redeundi
non expirat legatio; quia legatus compelli possit
etiam invitus ad munus legationis obcundum &
continuandum, & hinc, sicut expresse renunciare
nequit legationi, ita nec possit tacite eidem renun-
ciare per egrégium è provincia; cum, qui potest
expresse renunciare, egrediendo è loco, in quo
eam exercet, animo illuc non redeundi, censetur
ei renunciare. E contra vero Vicarius Episcopi,
cum invitus compelli nequeat ab Episcopo (præ-
sertim ubi ei non erat subditus) ad suscipiendum
officium Vicarii, sed potius cogi deberet ad re-
sidentiam in loco beneficii (ui, sequitur, ut, sic
ut ipse ex præs. resignare poterat Vicariatu, ita
egressus è diacesi animo extra eam perpetuò ma-
nendi, eidem Vacariatu tacite renunciasse cen-
satur. Fagn. cit. num. 10. id ipsum num. 11. con-
firmans per texum cap. præsentata, de Testibus. ubi
probatur, eum, cui mandata est jurisdictione,
si de loco recedat, ubi erat exercenda, & ad
locum, in quo tenetur residere, proficiscatur,
non habere amplius jurisdictionem. Unde etiam
Card.

Card. & Felin. in cit. cap. praesente notant, absen-
tiam à loco cum obligatione aib. residendi morti
æquiparari.

3. Tertiò per mortem Episcopi tam natura-
lem, quam civilem, puta per renuntiationem
admissam à Papa, depositionem, translationem
illius ad aliam ecclesiam (veniunt enim hac om-
nia nomine mortis civilis) extinguitur mox ipso
facto omnis potestas & jurisdictione Vicarii. Pirth.
loc. cit. citans Sanch. de matrim. d. 30. num. 2. & 3.
Ventrigl. tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 57. Sbroz. lib. 3.
q. 2. à num. 2. citans quamplurimos. Cùm
enim Vicarius generalis eandem cum Episcopo ju-
risdictionem, idemque tribunal habeat, repu-
teturque eadem utriusque persona, celsusque
per mortem naturalem & civilem Episcopi tri-
bunal & jurisdictione, cessare quoque necesse est
jurisdictionem Vicarii. Pirth. loc. cit. Pax. Jord.
lib. 12. tit. 1. num. 249. Et cum principalis con-
stituens definit esse dominus, vel quasi dominus il-
lus rei, cuius contemplatione constituerat Vi-
carium, cessat quoque Vicariatus, quia celsus
causa præsumitur cessare voluntas, & dissolvi
mandatum: ex quo videtur ab initio adjecta, vel
saltem tacita inesse conditio, quod in eodem statu
maneat. Sbroz. loc. cit. nu. 4. citata L. cùm quis. ff. sol.
L. si Cornelius. tit. 4. & ibi Bartol.

4. Diximus, adeò que ante adventum successo-
ris Episcopi, cùm Vicarius non habeat jurisdictionem
cohærentem territorio principaliere, sed ac-
cessoriæ, & ideo non obstant L. meminisse. ff. de off.
Procons. & L. si forte. ff. de off. Presid. cùm loquatur
de Ordinario, tenente jurisdictionem principali-
ter cohærentem territorio, non autem accessoriæ,
sicut haber Vicarius ita ferè Sbroz. loc. cit. n. 7. Ex-
tingui autem officium Vicarii mox ab ejus trans-
latione in Confessorio (idem est de depositione &
renuntiatione illius in eo admissa) etiam si Episco-
pus ignoraret suam translationem; quia eo ipso
cessat omnis jurisdictione Episcopi, tradit Sbroz. loc. cit.

5. Dixi etiam: ipso facto seu jure. Nam opus
non est revocatione facta per Capitulum. Pax.
Jord. loc. cit. n. 250. citans Felin. in c. ex parte. de re-
script. nu. 19. contra Henriquez in sum. l. 7. c. 21. §. 5.

6. Potrò jurisdictione & officium Vicarii ex-
spirat morte naturali & civili Episcopi, etiam re-
spectu caularum & negotiorum jam captorum E-
piscopo vivente, & regnante, ut ea perfidere ne-
queat, & hac ab eo profecta, aliisque gesta post
mortem Episcopi sive omnino irrita, tanquam fa-
cta à privato jurisdictione. Azor. p. 2. l. 3. c. 45. q. 14.
Pax. Jord. loc. cit. n. 252. Ventrigl. Pirth. citatique
ab illis cum communis, pro quo quoque Pignat. tom. 1. cons. 250. citat Archid. in c. 1. de off. Vicar. in 6.
nu. 2. Gloff. in Clem. fin. de Procurator. v. contestata.
ibidemque Cardin. nu. 5. Imol. nu. 17. Bero. in cap.
quoniam Abbas. de off. delegat. num. 100. Berlach. de
Episc. l. 4. p. 7. q. 6. n. 4. Rebuff. in pr. p. 1. tit. form.
Vicar. n. 162. &c. Tuetur tamen ipse Pignat. loc. cit.
nu. 2. contrarium, dum ait: Dico tamen si Vicarius
ante obitum sui Episcopi caperit in causa procedere, hand
dubie, re non integrâ, prorogatur ac perpetuat sua
jurisdictione. Citat pro hoc c. gratum. §. nos autem. de
off. delegati. & ibi gloff. v. captam. Abb. nu. 1. Fe-
lin. nu. 5. Jason. in L. more majorum. ff. de jurisd. omn.
Iudic. n. 58. Decium ibidem nu. 42. Rotam decis. 9.
de dole & contumac. in antiquis. &c. Loquitur au-

tem Pignat. de Vicario, cut delegata causa cano-
nizationis. Citerque in specie sic censuisse S. Con-
greg. Rituum in Sepotiensis servi Dei Ioannis de Duola.
quod etiam sola citatio, licet non executa, suffici-
at, ut procedere possit Vicarius mortuo suo Epis-
copo. Quia si intelligatur Pignat. in casu, quo Vicar-
io sub nomine hujus officii delegata sit talis cau-
sa, non ab Episcopo proprio, sed à Papa, vera for-
te erunt.

7. Par ratione exspirare officium Vicarii per
permutationem Episcopatus cum alio Episcopatu-
ac per translationem, tenent Ventrigl. ex Me-
roll. Theol. mor. tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 5. nu. 473. Sbroz.
cit. q. 42. n. 11. & cum eò Pax. Jord. loc. cit. nu. 262.
contra Rebuff. pr. benef. form. Vicar. n. 225. Calde-
rin. conf. 4. de re script. Cuch. Institut. Iur. Can. de Vi-
car. Episc. nu. 155. Socin. conf. 27. l. 3. quos citat Sbro-
zius nu. 10. In permutatione enim non minus con-
tingit vacatio ecclesiæ permittatæ, quam in trans-
latione ecclesiæ, à qua Episcopus transfertur.
Sbroz. cit. num. 11. cum gl. in c. si propter. de rescript.
in & vacante autem ecclesiæ exspire Vicariatus.

8. Quartò, per revocationem factam ab Epis-
copo. De quo paulò pôlt.

*Quæstio 291. An exspiret Vicariatus per ca-
pitivitatem Episcopi?*

R Esp. Exspire illum, si Episcopus capiatur à
paganis, hæreticis vel schismaticis, tenet
cum gl. in cap. si episcopus. de suppl. negl. Prelator. in 6.
v. sed Capitulum. Ventrigl. loc. cit. aliquis; ed quod
velint amittere illum per hoc libertatem, & con-
sequenter jurisdictionem, & captivitas censeatur
mors civilis, & æquiparetur morti naturali. E con-
tra sentit Fagn. in cap. pertus. il primo. de simonia.
Pirth. loc. n. 68. non extingui per captivitatem Vi-
cariatum; ed quod Episcopus captus non efficia-
tur servus capientium, seu non amittat libertatem,
nisi de facto, prout intelligi debet et. c. si Episcopus.
dum ait: donec illum libertati restituiri contingere. ac
pari modo habitualiter retineat jurisdictionem, &
ea solum quoad exercitum suspendatur, & interea
devolvatur ad Capitulum; adeò que non sit civili-
ter moritus, quantum quoad habitum jurisdictionis
sed solum quoad jurisdictionis exercitum.
Prinde jam etiam Vicarii jurisdictione durante ca-
ptivitate Episcopi tantum suspensa est quoad ex-
ercitum, ita ut interea eam exercere nequeat nisi
forte exercitum illius committatur eidem à Ca-
pitulo & habitu remanet Vicarius.

*Quæstio 292. Qualiter exspiret Vicariatus
per revocationem?*

1. R Esp. primò: exspire illum per revoca-
tionem factam ab Episcopo constitutente.
habet communis. Barbos. Iuris eccles. l. 1. c. 15. n. 44.
Ventrigl. loc. cit. n. 57. Pirth. n. 75. Sbroz. l. 3. c. 33.
Azor. p. 3. l. 3. c. 45. q. 14. Pax. Jord. l. 1. c. 257. citans
insuper plures alios. Sicut enim Episcopi volunta-
te & nominatione ordinaria jurisdictionem à le-
ge consequitur, ita quoque contraria Episcopi vo-
luntate removetur. Eo enim modo unumquodque
dissolvit, quo colligatum est, & per quas causas
res nascitur, per eas etiam dissolvitur. c. omnes res
de Reg. Iur. in 6. Barbos. Pax. Jord. locis cit. sed ne-
que Vicarius in suo officio est intitulatus, ideoque
ad libitum Episcopi revocari potest. Sbroz. l. 3.

q. 32. citatis quamplurimi. Pith. Pax-Jord. Ventrigl. locis cit. Cardin. de Luca ad Trident. d. 4, n. 8. Laym. in c. cum in generali. de off. Vicar. in 6. n. 9. juxta gloss. in Clem. si principalis. de rescript. v. per electionem. Idque etiam Episcopus jurasset, se illum non revocaturum, quamvis si id ficeret sine cedula, perjurus esset. secus si cum cedula justa. Sbroz. loc. cit. n. 5. citatis iterum quamplurimi. Pith. n. 76. in fine. Ventrigl. loc. cit. citatis Rebuss. in pr. tit. Vicar. n. 193. Boërio decis. 341. n. 1. Jo. And. in c. sua. de off. Vicar. juxta dicta à nobis alias. Et quidem siue consensu Capituli. Pirh. loc. cit. Sbroz. cit. q. 32. n. 2. Secus tamen est, ubi Vicarius Episcopi confirmatus esset à Papa ad vitam, vel ex certa scientia, revocare enim illum nequiret Episcopus, & sic per ejus revocationem, utpote nullius efficacia, non expiraret Vicariatus. Pax-Jord. n. 264. citans Rebuss. in pr. tit. form Vicar. n. 194. & seq. Cuch. eod. tit. n. 139 Ventrigl. loc. cit. citans Merol. ubi ante, c. 6. dub. 51. nu. 452. Idem videretur, dum Papa simpliciter constituisset Vicarius Episcopi; sicut enim tunc non deputatur ab Episcopo, sic nec ab eo removetur potest. Pax-Jord. loc. cit. nu. 265. qui tamen etiam n. 264. ex eodem Rebusto & Cucho secus esse ait de Vicario constituto ab Episcopo, & simpliciter taurum, non verò ad vitam confirmato à Papa; sed quod confirmatio simplex non alteret naturam rei.

2. Resp. secundò: ad hoc tamen, ut exspiret officium & jurisdictio Vicarii per revocationem, necessaria est hinc ei intimari seu denuntiari. Ventrigl. loc. cit. Pirh. cit. nu. 75. Pax-Jord. nu. 266. cum communis. Generaliter enim loquendo, non cessat jurisdictio Judicis, donec certior reddatur de revocatione. L. si forte. ff. de off. praefid. Quod si tamen Vicarius suā culpā, seu ob delictum suum depositione dignum revocaretur, etiam ante notitiam de sui revocatione, exspireat ejus jurisdictionem, tradit Azor. infit. mor. p. 2. l. 3. c. 45. q. 15. § dubia. dicens communem. Item Rebuss. loc. cit. num. 207. Nihilominus probabiliter quoque, si non melius & probabilius, tradunt Sbroz. l. 3. q. 33. n. 5. Sanch. de matrim. l. 3. d. 30. n. 11. Pax Jord. n. 268. citas Cuch. ubi ante, nu. 143. in hoc quoque casu necessariam adhuc esse intimationem revocationis: quin & non cessare illius jurisdictionem, dum haber notitiam de sua revocatione, modò adhuc error communis populi, quo publicè ignoratur Vicarium revocatum esse, tradit Pirh. citato Sanch. ubi ante. Imò, etiam cessante hoc errore communis, non sufficere ad cessationem illam jurisdictionis in Vicario notitiam revocationis à quoconque fide digno haustam; sed requiri, ut revocation illa sit notificata vel per ipsum Episcopum, ejusve epistolam, vel per alium nomine illius, puta per procuratorem, vel nuncium ad id destinatum, tēnent Azor. loc. cit. Sanch. loc. cit. nu. 13. Layman. in cap. gratiam. de off. deleg. nu. 11. Ventrigl. cit. loc. dicens hanc sententiam magis communem. Garc. de benef. p. 5. c. 8. nu. 176. (qui etiam ait, hanc esse differentiam inter revocationem Vicarii per mortem Episcopi, aliámve Episcopatus vacationem, & inter revocationem factam per Episcopum) Pax-Jord. num. 267. citans Rebuss. ubi ante, num. 208. & Cuch. num. 146. quam sententiam probabilem dicit Pirh. cit. num. 75. contra Sbrozium lib. 3. quæst. 33. num. 10. Ratio hujus sententiaz est, quod licet Episcopus Vicarium suum revocarit, non

censeatur tamen voluisse hanc suam revocationem effectum habere, antequam ei suo nomine, seu ex parte sua sit denuntiata. Garcias loc. cit. n. 177. Cuch. loc. cit. qui etiam addit, levitatis insimum landum fore Vicarum, si ex alienis tantum monitis ab Episcopi iustu non procedentibus offici curam temere deponeret. Et confirmantur hac à pari, nempe, quod sicut in constitutione Vicarii requiritur expressa intimatio facta ei nomine Episcopi; cum ex parte Vicarii necessaria sit illius acceptatio, ita etiam in ejusdem revocatione: cum, ut dictum supra, per easdem causas renasceretur, & dissolvatur. Garc. Pirh. loc. cit.

3. Resp. tertio: sufficit ad exspirationem Vicariatus revocatione quoque tacita, v. g. facta per constitutionem alterius Vicarii, modò ex verbis constitutionis secundi Vicarii appareat revocation illa primi, adeoquinis non censeatur revocatus per constitutionem secundi, sed secundus constitutus cumulativè; cum plures saepe Vicarii seu Ordinarii in solidum constitui soleant, ut facilius possit consuli Républica. Pith. cit. num. 76. Ventrigl. cit. num. 57. in fine. Sbroz. cit. qu. 33. num. 2. juncto num. 3. Ait tamen Pax-Jord. loc. cit. num. 260. sufficere tacitam revocationem per constitutionem secundi Vicarii, quando Episcopus consuevit non nisi unicum habere Vicarium. Porro ad exspirationem Vicariatus per talen revocationem tacitam requiritur quoque, ut primo illi Vicario intimata sit constitution secundi. Pirh. loc. cit. Sbroz. loc. cit. num. 7. Et quidem non qualisunque, & undecunque hausta notitia de constitutione secundi Vicarii sufficit; sed requiritur notificatio de hoc expressè ei facta nomine Episcopi, ut dictum de revocatione expressa juxta Sbrozium num. 9. & 10. citantem Boëti. decis. 347. num. 14. adeoque non sufficiet intimation ei facta per ipsum secundum illum Vicarium de creatione sua, ut habet Sbrozium nu. 10. nisi forte ad intimationem illam faciendam primo Vicario, secundus ille haberet mandatum seu commissionem ab Episcopo, adeoque id faceret nomine illius, ostenderetque insuper in sua constitutione haberiverba, quæ revocationem primi contineant. Extendit huc ipsa Sbrozium loc. cit. nu. 12. ad Vicarios foraneos, ita ut per constitutionem secundi censeatur revocatus primus. Quod tamen intelligendum, si constitutus secundus in eadem diaœcœis parte, vel pro eodem genere causarum. Tacite quoque censi revocatum Vicarium per redditum & adventum Episcopi, dum nimurum deputatus fuisset pro solo tempore absentia & peregrinationis Episcopi, qui præsens soleret non habere Vicarium, habet Pax-Jord. loc. cit. num. 236. ex Sbroz. l. 3. qu. 34. num. 2. juncto nu. 4. citante pro hoc cap. si delegat. de off. deleg. in 6. cap. si quem sub ea forma, de procurat. in 6.

Vant. de nullit. sentent. tit. de inhabilitate ex defecta mandat. nu. 175. Selv. de benef. p. 2. qu. 12. nu. 2. C. 3.

Quæst.

Questio 293. An & qualiter Vicariatus exspiret per excommunicationem, suspensio-
nem, vel interdictum Episcopi?

REsp. Primo: quemadmodum per excom-
municationem (intellige, etiam, dum no-
minacim denuntiatus est, adeoque vitandus; dum
enim taliter nominatum denuntiatus non est, re-
tinet jurisdictionem, ejusque exercitium juxta
Extravag. Martini. v. ad extirpanda. M. suspensionem
& interdictum, non extinguitur jurisdictione Episco-
pi, sed apud eum manet habitualiter, ita etiam per
dictas censuras ab Episcopo incurisas non extin-
guntur jurisdictione Vicarii. Pax-Jordan. loc. cit.
num. 269.

2. Ob excommunicationem tamen incursum ab
Episcopo, ut suspenditur jurisdictione Episcopi
quoad exercitium, ita quoque impeditur jurisdi-
ctio Vicarii quoad exercitium, etiam quoad ne-
gotia jam capta. Pax-Jordan. loc. cit. Pirh. loc. cit.
nu. 69. Azor. part. 2. lib. 3. cap. 6. qu. 13. Sanch. cit.
d. 30. nu. 5. & 6. Barbol. alleg. 34. nu. 146. Sbroz.
lib. 3. qu. 17. nu. 1. citans Cuchum inst. Inr. Canon.
cit. de Vicar. Episc. nu. 134. Paris. conf. 89. nu. 6. Selv.
de benef. part. 2. qu. 14. nu. 6. & alios quamplurimos.
Idem est, dum Episcopus est interdictus aut su-
spensus nominatum denuntiatus. Azor. Pirh. Pax-
Jord. locis cit. Sanch. loc. cit. nu. 7. & 8. Sbroz. loc.
cit. nu. 4. citato Parisio ubi ante, nu. 10. Bertach.
de Episc. lib. 4. part. 5. num. 69. &c. est enim unum
idemque tribunal & jurisdictione, & ut Bald. in cap.
litter. de offic. deleg. nu. 9. excommunicatio inficit
auditorum Episcopi. Quod si vero Vicarius ex-
communicato Episcopo exercere vellet jurisdi-
ctionem, potest & is excommunicari. Pax Jord.
num. 271. citans Archid. in cap. 1. de off. Vicar. in 6.
num. 2. Surdum conf. 50. num. i. vol. 1. Procedit tamen
responso, si Vicarius est creatus ab Episco-
po, secus si ab alio, puta Papa. Sbroz. loc. cit. nu. 5.
citato cap. 1. de off. Vicar. in 6. ubi: si jurisdictionem
tantum recipiat ab eodem, & ibi Doctores & Fe-
lin. in cap. insinuantur, de offic. deleg. nu. 1. Sic etiam,
ubi causa aliqua delegata est Vicario (intellige
etiam sub nomine officii Vicariatus, seu tanquam
Vicario) ab alio, non suspenditur jurisdictione Vi-
carii per excommunicationem Episcopi, quo min-
us de causa illa delegata cognoscere possit, re-
non amplius integrative causa jam causâ & ex
una enim parte manet adhuc Vicarius habitualiter,
ex altera parte jurisdictione, qua cognoscit
de illa causa, est delegata, adeoque diversa à juris-
dictione Episcopi, nec ab illo, sed à delegante de-
rivata, ac proinde non suspenditur per excom-
municationem Episcopi. Pirh. loc. cit. num. 72. ci-
tato Sanch. aliante, num. 9. Porro qualiter excom-
municato aut suspensus ipso Vicario suspendatur

aut exspiret substitutorum & delegatorum ab eo
jurisdictione seu commissio, dictum est supra.

Questio 294. An Vicariatus generalis Epi-
scopi exspiret per promotionem Vicarii ad
Episcopatum alium?

REsp. Non exspirat, sed poterit Vicarius, qui
durante hoc officio suo creatus & consecra-
tus est Episcopus, creatione hac & consecratione
non obstantibus, retinere manus Vicarii genera-
lis, interea, dum se preparat & expectat oppor-
tunam commoditatem conferendi se ad suam ec-
clesiam. Nullo enim jure prohibetur, quod minus
Episcopus possit esse Vicarius alterius Episcopi &
quoniam permisum id videtur per cap. plerique. de
officio. Ordinar. ubi gl. v. necessitas. Pignat. tom. 3.
conf. 22. num. 1. citans Azor. part. 2. lib. 3. cap. 45.
qu. 9. Anchiar. in cap. fin. de off. Vicar. in 6.

Questio 295. Quae sunt portissime cause aufe-
rendi à Vicario Vicariatum?

Respondet Pignatelli tom. 9. conf. 162. num. 4.
Si constiterit de mala Justitia administratio-
ne, de abuso censorum, de extorta pecu-
nia, ut idcirco de alis dici possit, quod de
Vicariis quibusdam, qui plus, quam debent,
accipiunt in collatione beneficiorum, inquit
Rebuff. pr. benef. tit. quod modis benefic. acquir.
numer. 13. quod sint simoniaci, & simoniacos
faciunt suos Episcopos, ita ut seipso & suos
damnent. Item quod Petrus Blesensis Episc. 25.
scribit: Tota Officialis intentio est, ut Episcopi sui
jurisdictioni commissas miserrimas oves quasi vice illius
condeat, emungat, excoriat. Ipsi enim sunt Episcopi san-
guisuga, evomentes alienum sanguinem, quem biberunt;
quia testimonio Scriptura divitias, quas congregavit
impius, evomet, & de fangibus illius extrahet illas Deus,
&c. Quia si in judicibus secularibus sunt graviter
panienda, l. iudices. c. de dignitat. ubi Luc. de Penn.
nu. 1. & 17. ait, in specie eos privandos esse digni-
tate & honore. Et comprobatur ibidem And. de Ba-
ru, multo magis puniri debent in Judicibus ec-
clesiasticis, & portissimum in Vicariis Episcoporum,
quocum mores debent esse inculpabiles, ma-
xime vero ab extorquentia pecunia, ut probant
relati a Sbroz. l. 1. qu. 33. Unde iterum dico, quod
hujusmodi Vicarii non sunt constituendi, & con-
stituti removendi sunt, dum alioquin prospic-
ci non possit subditorum indemnitat.

Ita ferè Pignat.

* *